

IOANNIS CALVINI
INSTITUTIO RELIGIONIS CHRISTIANAE.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS ET ANNOTATIONIBUS CRITICIS

TRIPLICI FORMA EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

EDITIO ITERATA EX OPERIBUS CALVINI SEPARATIM RECUSA.

VOLUMEN I.

CUM CALVINI EFFIGIE.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1869.

regum corda, et regnorum inclinationes (Prov. 21). Ille Deus est, qui stabit in synagoga Deorum, et in medio Deos diiudicabit, a cuius facie concident et conterentur reges omnes et iudices terrae, quicumque non osculati fuerint Christum eius; qui scripserint leges iniquas, ut opprimerent in iudicio pauperes et vim facerent [p. 511] causae humilium, ut viduas haberent in praedam et pupillos diriperent (Psal. 82. Psal. 2. Ies. 10). Atque hic mirabilis eius tum bonitas, tum potentia, tum providentia sese profert. Nam modo ex servis suis manifestos vindices excitat, ac mandato suo instruit, qui de scelerata dominatione poenas sumant et oppressum iniustis modis populum e misera calamitate oximant, modo furorem aliud cogitantium et aliud molientium hominum eo destinant.

Sic populum Israel e tyrannide Pharaonis per Mosen (Exod. 3), e violentia Chusan, regis Syriae, per Othniel (Iud. 2 seqq.), ex aliis servitiis, per alios vel reges, vel iudices, in libertatem asseruit; sic Aegyptiorum insolentiam per Assyrios, sic Tyri superbiam per Aegyptios, ferociam Babylonis per Medos et Persas, regum Iuda et Israel ingratitude per Babylonios contudit et afflixit; quanquam non eadem omnia ratione. Priores enim illi, quando ad edenda talia facinora, legitima Dei vocatione accersiti erant, in reges incurrendo, minime violabant eam, quae divina ordinatione regibus indita est, maiestatem, sed minorem potestatem maiore coercebant, perinde ac in suos satrapas regibus animadvertere licet. Hi, tametsi Dei manu, quo illi visum erat, destinabantur, opusque eius inscientes peragebant, nihil tamen aliud animo, [p. 512] quam scelus volutabant. Verum utcumque ipsa hominum facta censeantur, Dominus tamen per ea suum aequum opus exequatur, cum sanguinaria regum insolentium sceptrum confringeret, ac intolerandas dominationes everteret. Audiant principes et terreantur. Nobis autem interim summopere cavendum, ne illam plenam venerandae maiestatis magistratum auctoritatem, quam Deus gravissimis edictis sanxit, etiam si apud indignissimos resideat et qui eam sua nequitia, quantum in se est, polluunt, contempnamus aut violemus. Neque enim si ultio Domini est, effrenatae dominationis correctio, ideo protinus demandatam nobis arbitremur, quibus nullum aliud quam parendi et patiendi, datum est manda-

tum. De privatis hominibus semper loquor. Nam si qui nunc sint populares magistratus, ad moderandam regum libidinem constituti, quales olim erant qui lacedaemoniis regibus oppositi erant Ephori, aut romanis consulibus tribuni plebis, aut Atheniensium senatui Demarchi, et qua etiam forte potestate, ut nunc res habent, funguntur in singulis regnis tres ordines, cum primarios conventus peragunt, adeo illos ferocienti regum licentiae, pro officio intercedere non veto, ut si regibus impotenter grassantibus et humili plebeculae [p. 513] insultantibus conniveant, eorum dissimulationem nefaria perfidia non carere affirmem, qua populi libertatem, cuius se Dei ordinatione tutores positos norunt, fraudulenter produunt.

At vero in ea, quam praefectorum imperiis deberi constituimus obedientiam, id semper excipiendum est, imo in primis observandum, ne ab eius obedientia nos deducat, cuius voluntati regum omnium vota subesse, cuius decretis iussa cedere, cuius maiestati fasces submitti par est. Et vero ut hominibus satisfacias, in eius offensionem incurrere, propter quem hominibus ipsis obedias, quam praeposterum fuerit? Dominus ergo rex est regum, qui ubi sacrum os aperuit, unus pro omnibus simul ac supra omnes sit audiendus. His deinde qui nobis praesunt, hominibus subiecti sumus: sed non nisi in ipso. Adversus ipsum si quid imperent, nullo sit nec loco, nec numero. Neque hic totam illam, qua magistratus pollent, dignitatem quidquam moremur; cui iniuria nulla fit, dum in ordinem, prae singulari illa verique summa Dei potestate, cogitur. Scio quantum quamque praesens huic constantiae periculum immineat, quod indignissime se contemni reges ferant, quorum indignatio nuncius est mortis, inquit Solomon (Prov. 16). Sed cum istud a coelesti praecone [p. 514] Petro pronunciatum sit edictum (Act. 4): Obediendum Deo potius quam hominibus, hac nos cogitatione consolemur. Illam tum nos praestare quam Dominus exigit obedientiam, dum quidvis perpetimur potius quam a pietate deflectamus. Et ne nobis labascant animi, alium etiam stimulum Paulus admovet (1 Cor. 7): Nos ideo tanti a Christo redemptos esse, quanti illi constitit nostra redemptio, ne pravis hominum cupiditatibus servos nos addicamus, multo vero minus impietati.

FINIS.